Ludowicus dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus. Spectabili viro Wilhelmo Comiti Juli-
acensi affini suo karissimo, gratiam suam et omne bonum. Dudum cum essemus in Ytalie partibus constituti, libertatum
gratiarum, concessionum et privilegiorum a divis Romanorum principibus predecessoribus nostris, civibus prudentibus consulibus
ceterisque Civibus Regalis sedis nostre Aquensis indultorum immemores, per oblivionem, necnon et importuna importunita-
tem petencium, prout plerumque concedunt ea que aliter concedenda non forent, nonnullis, et specialiter viro strenuo
Henrico dicto Mule de Bontzuelt et Johanni Scheffelhart et aliis quampluribus certas litteras in preiudicium dictarum
libertatum, gratiarum seu concessionum per oblivionem, ut predicitur concessimus et tradidimus ignoranter. Nunc
vero de ipsorum certificati libertatibus, graciis et concessionibus instructi, plenius eosdem agnovimus. nobis hoc
licet nequaquam inherere, cum in votis nostra gerat benignitas quemlibet in suis iuribus quantum nobis est possibi-
le confovere. Hiis igitur sic discussis, predictas litteras contra libertates predictas sic inprovide concessas, cassa seu
revocatas, Tue dilectioni committimus seriose, quatenus Cives predictos in suis libertatibus, non obstantibus
quibuscumque litteris sic concessis, contra omnem hominem tuearis modis omnibus et defendas, sicut favorem
nostrum consequi volueris graciosum. prefatis eciam Muloni et aliis quibus huiusmodi litteras concessimus aliud de bo-
nis Imperii condignam (?) proponimus recompensam. Harum testimonio litterarum. Datum in Franckenfurt
feria Quarta ante Nycolai. Regni nostri Anno decimooctavo. Imperii vero Quarto.